

We  
3150





We  
3180

LAVDATIO FVNE-  
BRIS  
SERENISSIMAE PRINCIPIS  
AC DOMINAE  
DOMINAE

**M**ARIAE **E**LI-  
SABETHAE

DVCIS SAXONIAE IVLIACI  
CLIVIAE ET MONTIVM AN-  
GRIAE WESTPHALIAEQVE  
CETERA

ORTAE CELSISSIMA DOMO  
HASSIACO-DARMSTADINA LAND-  
GRAVIAE

AETERNAE MEMORIAE

IN  
ILLVSTRISSIMO CASIMIRIA-  
NO

III. CALEND. OCTOBR. A.

MDCCXV.

PVBlice RECITATA

AB

HEINRICO CHRISTOPHORO SEXAUES.

COBVRGI,

Typis publicis exscriptit Mauricius Hagen, Typographus Ducalis.



8 Köpfe f. d.  
geb. 1636. verstorben 1715. 1. März. 1676.  
† 16. Aug. 1715. alt. 59. Jahre.  
Hübner Tab. 163. & 211.

1931



AVDATIO FVME  
BRIS  
BERENSIAM TRIPIS  
AC DOMINAE  
DOMINAE

ARIARIE  
SABITHAE  
DVOR SAXONIAE  
CLIVIAE  
GRIAE WERTHIAE  
GRIAE

GRATA CURSIVA  
ASTONIANAE  
DEVESTINO CASTRIS  
NO  
IN CANTON  
SUISSAE

FRENICO CHRISTOPHO  
SUISSAE





ELECTAM DOMINAM  
GENERE ANTIQVISSIMO NATAM  
MATRIMONIO AVSPICATISSIMO ELOCATAM  
SANCTITATE MORVM OMNIQVE VIRTUTE PER-  
ORNATAM  
IN ORIS SAXONICIS HACTENVS QVASI CORONAM  
ET NVNC  
(conf. Corn. a Lap. in h. l.)  
NVMERO ELECTORVM ET BEATARVM MENTIVM  
ASSOCIATAM COELI MATRONAM  
SERENISSIMAM PRINCIPEM AC  
VIDVAM  
MARIAM ELISABE-  
THAM  
DVCEM SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE ET  
MONTIVM ANGARIAE WESTHALIAE QVE  
CETERA  
ORTAM CELSISSIMA DOMO HASSIACO-  
DARMSTADINA LANDGRAVIAM  
XVII. CALENDAS SEPTEMBREIS A. MDCCXV.  
POSTQVAM ANNOS LIX. MENSES IV. DIES XXVI. FECISSET  
ROEMHILDAE DENATAM

LAVDATIONE FVNEBRI  
CONCELEBRANDAM  
DIRECTOR ET PROFESSORES RELIQVI IL-  
LVSTRISSIMI CASIMIRIANI

INTIMANT

SIMVLQVE

HEINRICVM CHRISTOPHORVM ~~EXAMINE~~  
MEININGENSEM

STVDIOSVM PVBLICVM ELECTVM ET PRAESTANTEM  
SVBIECTISSIMO DEMISSISSIMO ELECTISSIMO QVE CVLTV ET  
ITA

HIS ELECTORVM ANGELORVM FERIS ex 1. Tim. V. 21.  
VERBA FACTVRVM

VT ETIAM PRO VITA SALVTE ET PEREN-  
NI GLORIA DOMVS SAXONICO-HASSI-  
ACAE DEO SVPPLICET

COMMENDANT.

NAM

ELECTO GENERE ET TANTA VIRTUTE CORVSCAM  
ELECTO HOC CVLTV CONCELEBRARE DECET.  
CVM IESV ELECTO POSTHAC SINE FINE FVTVRAM  
ELECTAM DOMINAM LITERA SACRA VOCAT. ex Luc. XXIII.  
PRINCIPIBVS TANTIS SI SORS ELECTA MANEBIT 35  
ELECTAE NOBIS GENTIS ATAAMA MANET.

P. P. COBVRGI DICTO ANGELORVM FESTO A. MDCCXV.



Au.



Auditores omnium Ordinum & Di-  
gnitatum honoratissimi,

Tuque Studiosa Iuuentus florentissima!

**Q**uemadmodum annus hic ipse, qui  
ad finem quotidie admouetur propius, Re-  
gionibus haud paucis, Regnis, Aulisque, va-  
rias propter causas acerbus extitit, grauis &  
calamitosus, ita & SAXONICAE DOMVI  
Excellissimae acerbus extitit, causaque sub-  
est, cur nos subiecti vnisonos pectore effundamus questus; nam,  
vt explicem statim, idem hic annus & nobis ob Illustria Funera SA-  
XONICA tam calamitosus fuit, vt longissima per tempora vix

B

sumi-

similem deprehenderimus, & is hinc tristi corde tristique planctu debeat commemorari. Vix auspicati eramus Mense Martio verum tempus, cum Lipsia perscriptum est, Zorbigae, qui locus sex circiter milliarium intervallo ab vrbe modo dicta, Halam versus, abest, & Ducalem habet sedem, Serenissimum Ducem AVGVSTVM, e Linea Saxo-Merseburgica, Principem sexagenarium, eundemque pium ac religiosissimum, qui ex fulgentissima Coniuge, natalibus Megapolitano-Gustroviensi Principe, binos quidem Filios & quaternas Filias suscepit, omnes vero hos Liberos, excepta vna Filia Principe, tumulo inferri curauit Ducali, vitam cum morte commutasse suam. Idem circa tempus, quod nostis, Auditores, Dux Sabaudiae suo orbabatur Filio, iuuentutis Principe ac Haerede praecipuo, cuius de futuro Regimine prospero multa iamdum spes iniecta erat; idem circa tempus Illustrissimae Domui Lichtensteinensi praematura eripiebatur morte Iuuentutis Princeps, CAROLVS IOSEPHVS, cuius aetas tenerior, & in aetate virtus rarior, spem non minus ostenderat luculentam & rariorem: eodem, inquam, tempore mortes modo dictae innotuerunt, quo innotuit mors AVGVSTI, Ducis Saxo-Merseburgici. Merseburgum, vt notum itidem est omnibus, in vicinia habet Weissenfelsam, & ducit vtraque Domus ab vna stirpe Genus suum; vtinam vero, ducissimo mortis fato profapia has arctius iunctas fuisse copulatasque nuperrime, non esset annotandum! Et ita faciendum tamen est, mortuo quoque paulo post, & medio Mense Aprili, Weissenfelsensi Principe, qui erat FRIDERICVS, AVGVSTI, inelyti Administratoris Magdeburgici, Filius, & bellicis muneribus sub Rege Poloniarum perfunctus fortiter, Princeps, qui & ob fortitudinem hanc, & virtutes alias, vniuersae DOMVI SAXONICAE, Coniugi ex antiquissimo Comitum Ruthenorum stemmate natae, quippe quam quadriennio abhinc sibi curauerat desponderi, omnibusque, qui DOMVI SAXONICAE omnigenam salutem & constantem faulstitem haud inuident, magnum sui reliquit desiderium: hoc, hoc anno e vita excessit FRIDERICVS, Dux Saxo-Weissenfelsensis, quod quelaerymis & summa pietate est deplorandum, Profapia ALBERTINA Saxonica, crescentibus seculi huius annis, decremenda sentit, & pauciores eheu! eiusdem numeramus furculos. Neque tamen sola Linea Albertina, hoc ad finem vergente anno, haec acerbissima habuit fata, funera efferri vidit Illustrissima, sed pari prorsus cala-



calamitate Linea ERNESTINA habuit conflictari, & gradatim quasi progressa mors teneriorem aequae ac adultiorem spem subduxit. An praetereat quenquam nostrum, Clementissimum Nutritorem nostrum, Serenissimum Principem Saxo-Gothanum, FRIDERICVM, Filium infantem & vix anniculum, praeterlapso nono die Julii morte amisisse? Quem fugiat, Vinariam ereptum sibi dolere IOHANNEM ERNESTVM, Francofurti ad Moenum, morbo pertinaci & longo, sed & insuperabili? Nec latere potest quenquam, occubuisse non ita pridem Roemhildae, vicina nobis urbe, Principem piam & clementissimam, & egregium, vnde sibi aliae Illustriores Personae exemplum sumere poterant, exemplar, Serenissimam MARIAM ELISABETHAM, Nimirum Celsissimus Nutritor, paulo ante commemoratus, auspiciousimo quidem, quae Dei est benignitas, gaudet matrimonio; spe vero, paulo ante commemorata itidem, praemature obitu & spe omni humana citius deflorescente, & postquam Ipse inprimis in morbum etiam incidisset gravissimum, (morbum innuo, Auditores, quo liberatus, & pecuniae summam sacello erigendo destinavit haud parvam, & nummum cuditius sit memorialem egregium) moeror non poterat non augeri admodum. Quid? quod nec vulnus aequae facile curari potuisset, nisi Is longe desideratissimam Principem, cui nomen FRIDERICA sacro in lauacro baptismatis est impositum, donasset; quod ipsum beneficium diuinum quia singulare est, quia & Illustrissimi Parentes, singulari precum & eucharistiae die instituto, summa cum laude & pietate agnouerunt, nostrum nos non minus obseruamus officium, supplices ad Deum tendentes manus, precantesque, vt in posterum a Serenissima Domo Saxo-Gothana omnem doloris aestum ac nubila auertat, & recens natam Filiam Principem Parentum tantorum solatio atque gaudio sospitet, aliaque aliam gratulandi causa excipiat & occasio. O Vinaria carissima! Tu sane non immerito Principem iam adultiorem mortuum desles & ereptum, eoque rectius, quo parior in Aula Tua Personarum Illustrium est numerus, quae Saxo-Vinarienses salutantur Principes, & quia ad paucos tua haecenus redigi coepit Dómus Saxonica. Eo imo ardentius est votum nostrum, vt GVILIELMVS ERNESTVS Tuus viuat; vt ERNESTVS AVGVSTVS Tuus vigeat, vt IOHANNA CAROLINA Tua floreat, quippe qui tanta necessitudine pie defuncto  
iun-

iuncti erant, vt cum eodem appellarentur IOHANNIS ERNE-  
STI Ducis Saxo-Vinaricnsis Liberi. Vtinam vero! Vtinam nu-  
merum hunc Saxoniorum Funerum, recensione noui cuiusdam,  
non haberemus augere, nec cicatricem refricare! Id quod vero eo  
minus intermitteri potest, quo notius est, quo magis nuncijs tri-  
stissimus Menſe Augusto atque illius die decimo sexto nos omnes  
perculit. Roemhildae nempe, vicina nobis vrbe, & quae cala-  
mitatibus alijs conſtitata est haecenus, Serenissimam Principem  
MARIAM ELISABETHAM, natam Landgrauiam HASO-  
DARMSTADINAM, atque Coniugem Viduam Serenissimam  
quondam Principis ac Domini, Domini HEINRICI, Saxo-  
niae, Iuliae, Cluiae, Montium, Angriae & Westphaliae Ducis  
e vita hac discessisse, nunciatum eheu! est, piam istam Principem  
peruerso huic mundo valedixisse, & desideratissimam Viduam abiit-  
ſe ad Coniugem suum, quinquennio abhinc demortuum. Hinc  
sane Illustrissimae DOMVI SAXONICAE noui excitantur que-  
ſtus; hinc pauperibus, in quos incredibili conspicua exitiſe beni-  
gnitate, tot ſuſpiria, tot planctus, tot lacrymae exprimuntur: hinc  
omnes & ſinguli, qui Ducalibus virtutibus suam conſtituunt preti-  
um, desiderium declarant suum & luctum. Hinc, inquam, con-  
plices iamdum pietatis ſuae rite exhibendae edere ſuſtinuerunt  
ſpecimina.

Et quid diffitear, Auditores? Mihi ipſi animus est, his de cau-  
ſis, & ex peculiari illa, quod BEATISSIMA Auum in primis meum,  
meamque proſapiam, ſingulari ſemper gratia amplecti non est de-  
dignata, hoc die, hacque horula, orationem habere panegyricam,  
& pro ingenii mei tenuitate perenni tantae Principis memoriae ean-  
dem conſecrare. Vos proinde, quotquot adestis, rogo atque ob-  
ſecro, vt mihi breuiter dicturo beneuolos animos auresque atten-  
tas praebatis, veſtroque hoc fauore dolorem veſtrum publicum pu-  
blice teſtemini.

Inſtitutum autem noſtrum vt rite expediamus, vt tacita ne re-  
linquantur prorsus, quae afferri debent vtique, ingenii noſtri aciem  
ad quatuor praecipue momenta & capita conuertamus, oportet,  
Natales nempe beatissime defunctae PRINCIPIS, Coniugium  
ab EADEM auſpicato iocum, Virtutes eximias prorsus & Ducales,  
tandemque mortem beatissimam & nuperrime conſecutam. Se-  
renis-

Serenissima Princeps, **MARIA ELISABETHA**, nata erat anno post natum Christum supra mille, sexcentos, quinquagesimo sexto, die Martii vndecimo, Darmstadiæ, sede Landgrauiorum Hassiacorum, qui hinc Darmstadini solent vocari; Darmstadiæ, inquam, vrbe, quæ complures ob causas notatu digna est, & hoc ipso anno partem Arcis Principalis incendio amisit funesto & luctuosissimo. Numquis est historiae præceptis vel leuiter tinctus, qui non habeat cognitum & perspectum **LVDOVICVM VI.** literatissimum Principem, nam Is Psalterium Dauidis in politulos transposuit rhythmos vernaculos? At Hic ipse erat Beatissimæ Parens Serenissimus; Hic hanc a Deo sibi donatam Filiam Principem priori ex Coniuge fulgentissima, **MARIA ELISABETHA**, Slesuico-Hollata Duce, suscepit. An cuiquam ex indicibus originum ignotus est **GEORGIVS II.**, Landgravius Hasso-Darmstadinus, eruditissimus pariter atque commemorabilis Princeps, qui maximam Europæ partem itineribus peragravit suis, & interuentu Ducis **ERNESTI** Saxo-Gothani cum Hasso-Casellana Domo pactiõnem fecit famigeratissimam? At & Hic erat Illustrissimus Auus Beatissimæ, veluti Aua Serenissima, Filia Electoris Saxonie, **JOHANNIS GEORGI III.** Neminem, inquam, ex seculo decimo sexto **LVDOVICVS**, Landgravius Hassiæ, **FIDELIS** cognominatus, laet, qui nimirum Academiam Gissensem, florentem adhuc, & ab auctore hoc nomen Ludouicianæ Academiæ celebratissimum adeptam, constituit; quem, quia Principis nostræ Pro-Auus fuit, quia Coniux Pro-Aua extitit ex Electorali Domo Brandenburgica nata Princeps, iure & merito commemoro. Prohibet festinatio temporis, Auditores, quo minus antiquitatem Illustrissimæ Hassiæ Familiae efferre sustineam, vnde prognata est laudatissima **MARIA ELISABETHA**; nec eadem de causa Maiores caeteros affero, aut commemorabile Natiuitatis tempus, quæ omnia tam illustria sunt, vt de Illustri Persona afferri deberent in medium. Id tamen omittendum non est, quod afferri adhucdum & peculiari admiratione notari meretur. Verum erat tempus, & quinquaginta nouem abhinc annis illud vix ita coeperat, vt vniuersæ Germaniæ nostræ exclamare fuerit integrum, Omnia nunc rident, nunc formosissimus annus, cum Illustrissima Domus **HASSIACA** sibi hunc vindicare vericulum inprimis potuit; nam ineunte vere in pulcherrimo Illustrissimæ Familiae **Horto HASSIACO-DARMSADINO**

C

sur.

surculus effloruit praestantissimus, formosissimus, & diuinitus data FILIA PRINCIPE, vniuersae Domui, omnibusque Agnatis Celsissimis, multum gaudii atque spei coepit oriri. Nec sefellit spes & expectatio; potius, quod sperabatur cum gaudio, quod expectabatur cum summa animi firmitudine, in aspectum protulit tempus subsecutum laetissimum. Pius Parentibus Celsissimis erat animus, Deo & hominibus acceptissimam FILIAM PRINCEM educare; vnde vero vicissim Deus illam in pietate institutionem, caeteramque Principali sexu, ipso sequiore, dignam, sua beauit gratia, et a prima statim aetate deprehensae animi eximit dotes, in singulas horas diesque tantum acceperant incrementum, vt Darmstadiac aequae, ac in aliis aliorum exterorum Principum Aulis, innotesceret, vt nominatim Serenissimum quondam Principem ac Dominum HEINRICVM, Saxoniae, Juliae, Cluuiac, Montium, Angriae & Westphaliae Ducem, conciliarent, qui fulgentissimam MARIAM ELISABETHAM sibi Coniugem expeteret, expetitam in thalami consortium & Domum deduceret.

Ipse pietatis studiosus Princeps, Filius ERNESTI PII, non aliam, quam quae eandem & piam haberet mentem, sibi iungi volebat matrimonio; quare vero HEINRICO danda erat diuinitus MARIA ELISABETHA, & MARIAE ELISABETHAE HEINRICVS erat dandus diuinitus SAXONICA Domus & HASSIACA, vt aliis foederibus, ita in primis connubiali, artissime semper fuerunt iunctae invicem, Scimus omnes & singuli, quod JOHANNES FRIDERICVS II. Saxo-Hassiacam in matrimonio habuerit Principem, Viduam ipsam MAVRITII, Electoris Saxoniae. Memoria tenemus, quod JOHANNES ERNESTVS, Dux Saxoniae, Frater JOHANNIS CASIMIRI, Gloriosissimi Illustris huius Collegii Conditoris, Hassiaca cum Principe inierit coniugium, Ipseque beatissime defunctae PARENS Serenissimus Saxo-Gothanam Principem duxerit, ad secunda vota transiens. Et quod sane obliuioni tradendum est haud quaquam, olim itidem Nutritores laudatissimi huius Collegii bini & Clementissimi, Diuus BERNHARDVS & Diuus CHRISTIANVS, Hassiaco innotuerunt matrimonio; Hic matrimonio cum SOPHIA MARIA, Sorore Beatissimae, quae triennio abhinc obiit, Ille matrimonio cum MARIA HEDWIGE, Filia supra cum laude commemorati GEORGII II. Hassiaci, quo ex coniu-  
gio

gio procreatus est Nutritor noster Clementissimus, Princeps magnanimus & fortis, ERNESTVS LVDOVICVS. Isto autem foedere HEINRICI cum MARIA ELISABETHA aucta est amicitia SAXONICO-HASSIACA, magis magisque coaluerunt animi, & pristina mutua conseruata in hunc vsque diem est necessitudo. Quae omnia vt accuratius ponantur ob oculos, ex syllabo rerum superioris seculi notare libet, quod ipsis Martiis Calendis anno supra mille, sexcentos, septuagesimo sexto, desponderi sibi curauit HEINRICVS MARIAM ELISABETHAM, Principem, vt mense Martio natam, ita eodem mense nuptam, &, quod non minus, sed animo tristissimo, addimus, mense Martio Coniuge suo orbatam, nam HEINRICVS, Dux Saxo-Roemhildensis, quinquennio abhinc, & aliquoties repetito mense Martio, placide de hac migravit vita. Tempus si pateretur, Auditores, nec inter omnes iam dum constaret, plura iam de Beatissimo Duce HEINRICO, Eiusdemque Virtutibus Ducalibus, & insecuta morte beatissima, in simulque de incomparabili in Coniugem suam amore, & inde exorto matrimonio prosperrimo, adducerem; at enim, quod modo dixi, temporis obstat angustia, & nota ea sunt ad vnum omnibus fuitque, vt paucis omnia efferam, Coniugium illud illustre coelum his in terris, mutuus amor incomparabilis extitit, ipsamque sterilitatem, nam <sup>ante nos</sup> & sine liberis decessit HEINRICVS, instar pientissimorum Fratrum, ALBERTI & CHRISTIANI, arcetissimus animorum nexus compensauit, pignoribus quibuscunque dulcior. Reliqua tacita perlubenter praetereo, aliisque me longe doctioribus Encomiastis alibi enarranda relinquo & efferenda.

Imbecillior vero etsi est ingenii mei conditio, facere tamen non possum, quin, ad laudem beatissime defunctae digressus, Virtutes eius aliquatenus commemorem; Virtutes, inquam, quarum numerus haud exiguus in Serenissima Principe notatus fuit & deprehensus conspicuus. Eminuerunt Pietas & Clementia, in Beatissima domicilium nactae proprium; & de iisdem heic sollicitus vel maxime, vires meas periclitabor, &, quid humeri valeant, dispiciam recensurus. FRIDERIGVS GVILIELMVS I. Dux Saxoniae Symbolo vsus fuit hoc hemistichio, Pietas tutissima virtus; pietas enim ad omnia est utilis, teste Apostolo, & Cicero, Oratorum Coryphaeus, & facile Princeps, professus est, pietatem funda-

**D**amentum esse omnium virtutum: at pietas virtus erat fortissima, cui innixa Princeps beatissima aduersus Diabolum, mundum & peruersam militauit carnem, pugnavit & expugnauit, bellauit & debellauit, vicit deuicitque. Haec, haec Virtus erat Palladium & clypeus, in Symbolo Coniugis expressus, vnde vero ex hoc ipso Heroïna exclamare poterat: Si Deus pro nobis, quis contra nos? Oriebantur hinc quotidianae preces ardentissimae, sincerus verbi diuini, illiusque Ministrorum, amor & honor, Visitatio Concionum sacrarum, precum publicarum & eucharisticarum, frequentissima, nam tanto in pietatem flagrauit amore, vt Ipsa deuotissimas compoluerit cantilenas, hoc quoque modo aliarum Principum & Personarum sexus sequioris Illustrum non futura dissimilis. Quibus sane propius cum Ipsa versandi obrigit felicitas, quanto ardore in non fucatum verae pietatis cultum incensa fuerit, perspectum habuerunt & cognitum; quàm illa sacris literis librisque vnice delectata & voluntatem triuius Dei die noctaque meditata fuerit: nam id expetunt sacrae litterae, id efflagitat diuina voluntas. In isto fortunae fastigio, in Aulae strepitu, inter tot irritamenta vanitatum, a deliciis & omni luxu tota abhorruit mente, **O PRINCIPEM** piam! **O ELECTAM DOMINAM!** Egregie modo commemoratus Cicero scripsit: Nihil laudabilius, nihil magno & praeclaro viro dignius, placibilitate atque Clementia; expressius Seneca, Clementia, inquit, est lenitas superioris versus inferiorem: & alio in loco, Ornamentum Imperiorum est Clementia, maximeque decet Principem, vnde & apud Rex sine aculeo est. Clementia sane erat, qua beatissime defuncta Princeps inde ab ingressu primo in urbem Roembildam (solenni cum ceremonia is fiebat die Nouembris decimo octauo, anni supra dicti post mille, sexcentos, septuagesimi sexti, postquam a Mense Julio Gothae commorata fuisset) in subiectos admodum conspicua & fulgentissima exitit. Testor Templam, testor Scholas, quae Benignitatem DVCALEM, & sibi plus vice simplici exhibitam, multa cum laude extollunt. Vos testor, pauperes Roembildenses, orphanos, praesidio destitutos, homines egenos & miseros, quippe qui lacrymandi causas habetis plurimas, Principe haec vobis adempta, oculis vestris Matre subtrahata, & Opitulatrice Clementissima; qui flebilibus suspiriis iacturam merito prosequimini, **PRINCIPIS**, diem sibi periisse ratae, quo non aliquibus benefecerit.

**O**

O PRINCIPEM Clementissimam & Matronam Illustrem benignissimam!

At enim hoc ipsum restat adhuc, ut quemadmodum Princeps illa laudatissima Roemhildae, Saxonibus & Cattis, imo nobis omnibus & singulis, valedixerit, afferamus, & cum dolore commemoremus summo. Recte sane personarum Illustrium, veluti natales, ita & emortuales consignantur, & probe memoriae imprimuntur dies, nec in vulgaria istos referimus Diaria, sed in Annales, qui illorum memoriam ab obliuione vsquequaque, & quamdiu haec Vniuersitas est duratura, vindicabunt. Notate itaque, Historiarum Conditores, diem mensis Sextilis decimum sextum! Diem hunc notate emortualem BEATISSIMAE PRINCIPIS ROEMHILDENSIS luctuosissimum! Simul vero attendite ad praecedentem, qui apud Papicolae memoriae ascensionis Mariae sacerest; hoc etenim modo nos commonemur omnes, MARIAM nostram in Coelum felicissime esse translata, ac in Regno aeternae Glorae collocatam. Perpetua in memoria haerebit hic, qui ad finem properat, annus, quo, ut supra commemoratum est, tot SAXONICA clara sunt Funera, quae gemitus & preces eliciunt moestissimas, iustissimas, quo casus casum trudit, luctus luctum insequitur. Perfruere autem, BEATISSIMA PRINCEPS, amplexu Saluatoris TVI, quem deuotis TVIS ac ardentissimis expetiisti desiderii! Memoria TVI erit immortalis, quippe quam colemus, & ita commendabimus posteritati, ut nulla vnquam aetas de laudibus TVIS conticescat. Vale, BEATISSIMA PRINCEPS! Salve ELECTA DOMINA! Vale, haue, aeternum vale!

Addimus Votum: Velit Deus ter Optimus ter Maximus totam DOMVM SAXONICO - HASSIACAM omni posthac prosperitate beare, beatam conseruare, conseruatam aduersus omnia pericula protegere, & acerbissimos quosunque luctus longissima per tempora auertere! Seruet nobis Numen supremum & tueatur SERENISSIMOS NVTRITORES, faciatque, ut posthac occasio nobis potius suppetat & exoriatur humillime gratulandi, quam *συμπάθειαν* testandi, potius laetari iubeamur, quam dolere, aut pietatem nostram LAVDATIONE declarare FVNEBRI!

We 2150 A

vd 18

UNIVERSITÄT CLAUDIUM & MARCO BILIAM...

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

218





Pou We" 3150 ,Fk

ULB Halle  
006 375 332

3





St. 33, 4

Wc  
3180

LAVDATIO FVNE-  
BRIS  
SERENISSIMAE PRINCIPIS  
AC DOMINAE  
DOMINAE

MARIAE ELI-  
SABETHAE

DVCIS SAXONIAE IVLIACI  
CLIVIAE ET MONTIVM AN-  
GRIAE WESTPHALIAEQVE  
CETERA

ORTAE CELSISSIMA DOMO  
HASSIACO-DARMSTADINA LAND-  
GRAVIAE

AETERNAE MEMORIAE  
IN  
ILLVSTRISSIMO CASIMIRIA-  
NO

III. CALEND. OCTOBR. A.

CIO IO CCXV.

PVBLICE RECITATA

AB



UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
HALLE  
(SÄKLE)

*8. Köfml. d.  
v. b. 1. Bib. v. v. v. 1. Markt. 1876.  
16. Aug. 1715. ab 1. 59. f. 50.  
Hübner Tab. 182. 8. 211.*

1931

